N. V. Constantino Hugenio
equiti dno. S. P. D.
Isaacus Gruterus

ACAD. LUGD. BAT. BIBL.

Vir Nobilissime

Enixo competitorum ambitu agitur de praefectura Haganae
scholae in successorem transferenda. In istud certamen pertrah-
i me student homines amici, sed vobis hic duntaxat validi;
ut operae alicuius indigus corrogari patrocinium, et firmandae in
in disceptationis aleam causae praesidia cogar a viris subsellii al-
tioris. Utinam istius campi fortunam tentare liceat nactus quoque
ex te favorem commendatiunculae, et paucis partes nostras
fautoribus aggregari non abnuas, multorum instar, validissi-
mumque pro tua facundia. Recenseo inferius eorum nomina, per
quos ad Consules Haganos et Senatum fieri debebit relatio. Di-
spice an in illo numero noris, qui te patrocinante fulcrum
esse aliquod possit laboranti negotio. Tuo tibicine substentanda
mihi spes est ne protinus labascat, utque in aciem (pene dixe-
rim) competitorum fidentius procedam. Non paenitenda quidem
hic functio obtigit, sed aliud est in illa hominum luce libera-
re, aliud in Trajectensi crepusculo agere speciosi exulis
vitam. Saltem oblatae occasioni non defuisse ingens solatium
erit mihi et amicis, qui hortantium voce instant, et tutores
nuperrime de aditu in conatus ulteriores nondum praeclusos, in-
geminant stimulos. Quantum tuo in te vertatur momento
studiosis bonarum literarum, non uno constat experimento.
Istius praesidii, late Musas amplexi, si portiuncula me di-
gneris, quamvis eventum fidenter excipio; vel in repulsa ha-
biturus copias benevolentiae tuae, exhibituras alibi in rei
melius gerendae tentamenta. Vale. Traiecti ad Mosam. IX
Martii. VII. Jdus. CIↃ IↃC LV.

Consulum nomina Splinter, Both van der Eem, van Duynen.
Curatores, Halling, van Duynen, Ghezo, de Raed assessor
Curiae, ut vocant, Hollandiae.

611

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5396

Myn Heer

Myn Heer Constantin Hu-
gens Ridder, Heer van Zuili-
chem etc. woont opt plein
bij des hooves in

'sgravenhaag

door vriend

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Gruterus) 14
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/5396